

dic quo eam, ne forte velut operta, id est ignota sicut super greges sodalium tuorum: & incurram in greges hereticorum, conantes ponere lapidem super lapidem qui destruat, ne irruam in rebaptizatores. Annuncia mihi. Et ille qui commendat unitatem pastoris in hac lectione dixit: Ego pascam. Pastores autem reprobat, qui multi esse voluerunt: unitatem amiserunt. Severissime, non blande respondens, sed pro magnitudine periculi: nisi cognoveris, inquit, temetipsam o pulchra inter mulieres. Pulchra es inter mulieres, sed agnosce te. Ubi te agnosces? In toto orbe terrarum. Si enim pulchra, unitas est in te: ubi divisio, fœditas est, non pulchritudo: nisi cognoveris temetipsam: in me credidisti, agnosce te in me. Quomodo credidisti? Quomodo & illi mali sodales consentiunt, verbum carnis factum, natum ex virgine, crucifixum, resurrexisse, ascendisse in caelos. Si talem me credidisti: talem & illi sonant. Cognosce & tu me in caelo, & in toto orbe terrarum.

Unum quemlibet ex Ecclesia tanquam Ecclesiam Christus alloquitur. Nam quomodo Ecclesia querit Ecclesiam? Secundum ipsos loquitur. Annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas? Quid querit? Ecclesiam. Et ille tanquam ostendens Ecclesiam dicit: In meridie, sicut illi volunt. Respondeant mihi: quomodo Ecclesia querat Ecclesiam? Annuncia mihi quem dilexit anima mea. Quae loquitur? Ecclesia. Quid sibi vult annunciari? Ubi pascis, ubi cubas, id est, ubi sit Ecclesia. Ecclesia loquitur & interrogat, ubi sit Ecclesia: Et respondet ille, ut patant, in meridie. Si in solo meridie est, ut dicunt in Africa, quomodo ipsa interrogat, ubi ipsa sit? An vero portio Ecclesiae transmarinae bene interrogat de meridie ne hic erret? Alloquitur unumquodque membrorum Ecclesiae suae Christus, tanquam suam Ecclesiam, & dicit: Nisi cognoveris temetipsam o pulchra inter mulieres, exi: Exire hereticorum est. Aut agnosce te, aut exi: Quia si te non cognoveris, exitura es. Exitura es quo? In vestigiis gregum, sequendo malos greges. Ne forte putes, quia oves sequeris si exis, audi quid sequitur: Exi tu in vestigiis gregum, & pasce hædos tuos, jam non oves.

Nostis fratres: ubi erunt hædi? Ad sinistram erunt omnes qui exierunt ab Ecclesia. Manenti Petro dicitur: Pasce oves meas: exunt heretico, pasce hædos tuos. Est, inquit, & aliud testimonium nihilominus contra te. Dic, audiamus. Erit sic contra te, quomodo hoc quod putabis pro te. Si meridiem, inquit, interpretaris Aegyptum: Multis quidem modis interpretatur meridiem, & Aegyptum possumus ad locum mundi, & ipsam Africam sic intelligere. Audi quid intelligam per meridiem: Intellego fervorem spiritualium, flagrantem igne charitatis, splendens lumine veritatis. Nam dicitur in quodam psalmo: Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos corde in sapientia. Dexteram, non hædos: & eruditos corde in sapientia, ipsi sunt in meridie. Unde dicitur à Propheta: Et tenebrae tuae sicut merides erunt. Multis ergo modis possumus intelligere meridiem. Sed prorsus Africam intelligo. Accipio à te aliquid forte melius quam scirem, nisi à te commemorarer: Africa sit merides.

Timet Ecclesia transmarina incidere in rebaptizatores, timet incidere tanquam ignota in greges sodalium: querit ab sponso suo ut annunciet illi, ubi pascat, ubi cubet in meridie, quia in ipso meridie, in aliis pascat, in aliis non pascat: in aliis cubat, in aliis non cubat. Audiat consilium, veniat ad Catholicam Ecclesiam, non incurrat in greges sodalium: non pascat hædos suos. Sed dic aliud quod te dicebas esse dicturum. Propheta, inquit, ait: Deus ab Africo veniet. Et jam ubi Africus, utique Africa. O testimonium: Deus ab Africo veniet: & ab Africa veniet Deus. Alterum Christum in Africa nasci, & ite per mundum heretici annunciant.

Rogo quid est, Deus ab Africo veniet? Si diceretis: Deus in Africa remansit, utique turpiter diceretis: Nunc autem etiam ab Africa veniet dicitur Christus. Novimus ubi sit natus Christus, ubi sit passus, ubi in caelum ascenderit, unde discipulos miserit, ubi eos Spiritu sancto repleverit, ubi per totum mundum evangelizare jussit, & obtemperaverunt ei: & adimplet orbis terrarum Evangelio, & tu dicitis: Deus ab Africa veniet. Ergo tu mihi, inquit, expone, quid est: Deus ab Africo veniet? Dic totum, & fortassis intelliges: Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte umbroso:

Tu mihi expone, si jam ab Africa, quomodo de monte

umbroso? De Numidia nata est pars Donati, ipsi missi sunt primi in disensionem & tumultum & scandalum, querentes ingens vulnus: Numida miserunt, Secundus Tigiltanus misit. Ubi sit Tigiltanus notum est. Qui missi sunt clerici extra congregaverunt ab Ecclesia, ad clericos Carthagini accedere noluerunt, visitatorem posuerunt, à Lucilla suscepti sunt. Auctor totius hujus mali Numidia, hæreticus fuit in Numidia, unde ventum est hac, cum tanto malo viscarum vix invenitur: cum incursionibus habitant. Quomodo mons umbroso Numidia? Dic mihi ergo, noli mihi hucusque recitare: Deus ab Africo: Exigo & sequentia: Et sanctus de monte umbroso. Sed ostende mihi partem Donati à Numidia de monte umbroso venire. Invenis nuda omnia, pingues quidem campos, sed frumentarios: non olivetes fertiles, non cæteris nemoribus amœnos. Unde ergo mons umbroso in Numidia partibus? unde hoc scandalum venit? Tu mihi, inquit, ergo expone quid est: Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte umbroso?

Vide quàm facile exponam. Primo illud audi quod ait Dominus: Oportebat Christum pati, & resurgere tertio die, & prædicari in nomine ejus poenitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Ecce unde venit. Incipientibus cum dicit, inde utique se in sanctis suis ad alias gentes venturum esse prædixit. Lege divisionem terræ filiorum Israel in omnibus tribubus in libro Jesu Nave: ubi aperte dictum est: Hiebus ab Africo, quæ est Jerusalem. Lege, quære, & invenies. Utinam cum invenieris, credas: utinam animositatem deponas: Hiebus ab Africo quæ est Jerusalem: Et Dominus: Incipientibus ab Jerusalem, hoc est, Deus ab Africo veniet.

Quomodo ergo à monte umbroso? Evangelium jam lege. De monte Oliveti Christus ascendit in caelum. Sequere. Et quid lucidius audis, ab Africo: audisti, de monte umbroso: Legem recitamus, Evangelium recitamus. Audisti: Incipientibus ab Jerusalem: Audi, per omnes gentes in eodem Propheta. Sequere verba illa quæ contempnisti: Deus ab Africo veniet: & sanctus de monte umbroso. Cooperiet montem umbra ejus, & gloria ejus plena est terra. Per omnes ergo gentes incipientibus ab Jerusalem. Quomodo incipientibus ab Jerusalem? Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte umbroso & condense, id est, à monte Oliveti, unde ascendit in caelum, unde misit discipulos suos: ubi etiam ascensus ait: Non enim vestrum est scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem ex alto, & eritis mihi testes.

Videte quomodo inceptum Evangelium. Et eritis mihi testes in Jerusalem & in Judæa & Samaria & usque in totam terram. Ergo Deo veniente Christo & nomen ejus, & prædicatio Evangelii ejus ab Jerusalem, id est, ab Africo & monte umbroso, id est, à monte Oliveti, per omnes gentes diffusum est Evangelium. Operuit montes umbra ejus, id est, refrigerium ejus, protectio ejus: & laudis ejus plena est terra. Cantate ergo cum tota terra canticum novum, non canticum vetus cum angulo terræ.

Dicunt & aliud: Cyreneus, inquit, quidam, Simon angariatus est, ut tolleret crucem Domini. Legimus: sed quid te adjuvet volo scire. Cyreneus, inquit, Afer est: Quare ipse angariatus est qui crucem tolleret? Ubi sit Cyrene forte nescis. Lybia Pentapolis est: contigua est Africa: ad Orientem magis pertinet: Vel in distributione provinciarum imperatorem cognosce. Imperator Orientalis mittit judicem ad Cyrenem. Breviter respondeo: Ubi est pars Donati, non invenitur Cyrene: ubi est Cyrene, non invenitur pars Donati. Manifesta veritas convincit errorem. Det mihi Cyrenem, ubi est pars Donati: det mihi partem Donati ubi est Cyrene. Manifestum est enim fratres in Pentapoli Ecclesiam esse Catholicam: partem Donati ibi non esse. Sed securi irrideamus flendos, & fleamus irridendos. Quid dicitis? Meritum Cyrenensis hujus magnum commemoras, quia tulit crucem Domini: & Afrum dicitis: Orientalis est. Lybia enim duobus modis dicitur: vel ista quæ proprie Africa est: vel illa Orientis pars quæ contigua est Africa, & omnino colimitanea. Sed Afer fuerit Cyrenensis: beatum putas quod angariatus crucem tulit? Quanto melius forte diceret quis in Arimathia remansisse Ecclesiam Christi: quia Joseph ille dives ab Arimathia habens ante oculos regnum Dei, non angariatus, non coactus venit ad crucem Domini: cum ceteri formidarent,

formidarent, petiit à Pilato sepeliendum corpus Domini: de ligno deposuit, obsecutus est funeri, in sepulchro condidit: laudatus est in Evangelio. Quia verò de Arimathia fuit iste pius, tantum exhibens obsequium corpori Domini, in Arimathia remansit Ecclesia: Aut si magis vos delectat angariatus, id est qui cogitur tollere crucem: Rectè ergo faciunt imperatores Catholici, qui vos cogunt ad unitatem.

VALERIUS RUFFINO NE
ducat uxorem.

LOQUI prohibere: & tacere non possum. Grues cæli tempestates prænuntiant varias: ulula, buboneque ominosa aves, hyemis gravitatem instantem luctuosè præululant. Et tu subannas si venturi dispendii vaticinia vera præfensero. Ideo loqui prohibeor: veritatis augur, non voluptatis. Luscini amo & merulam, quæ lætitiæ auræ lenis contentum placido præloquantur: & præcipue philonem: quæ optatæ tempus jucunditatis tota deliciarum plenitudine cumulat.

Ni fallor gnatonas diligis & comædos, qui dulces præstaurant illecebras: & præcipue Circen, quæ tibi suspirata suavitate aromate gaudia plena perfundat, ut fallaris: ut sus fias, aut asinus: tacere non possum. Propinant tibi mellitum toxicum ministri Babel: blandè ingrediuntur & delectat, & imperum spiritus tui conducit: Et ideo loqui prohibeor. Scio quod novissimè sicut coluber mordebit: & virus imprimet impar omni theriaca, ideo tacere non possum. Multos habes voluptatis tuæ persuasores, in caput tuum facundissimos, me solum elinguem præconem veritatis, quem naufeas: ideo loqui prohibeor.

Reprobata est fatui vox anseris. Inter cygnos tantum doctos delectare: ea tamen senatores docuit servare urbem ab incendio, thesauros à rapina, se ipsos à telis hostium. Fortitan & cum senatoribus intelliges, quia prudens es, quod tibi organizent olores interitum, & anser salutem strepat: Ideo tacere non possum. Desiderio tuo totus inflammatus, & speciosè nobilitate capitis seductus, chimæram nescis esse miser quod petis: vel scire devoves, quod trifidum monstrum illud, insignis venustetur facie leonis, olentis maculetur ventre capri, anguis insidietur cauda virulente: ideo loqui prohibeor. Delectatus est Ulysses symphonia Sirenum. Sed quia Sirenum voces & Circes pocula novit: virtutis vinculis sibi vim fecit, ut vitaret voraginem.

Ego autem in Domino sperans adjicio: quod Ulyssis imitator eris, non Empedoclis: qui per suam philosophiam (ne dicam melancholiam, id est atram bilem) victus Aetnam sibi mausoleum elegit: & parabola quam audis, ad veteres attulit: Ideo tacere non possum. Tandem validior est ille ignis tuus, quo tibi annuit pars adversa: quàm major ætus ille tuus, qui in me accenditur, ne minorem veior ad se trahat: Et propterea loqui prohibeor. At spiritus loquar: quo tuus sum.

Pensentur ignes lance qualibet æquali vel inæquali: Versetur periculū capitis mei: quicquid agas, quicquid judices indulgendum est mihi, qui præ amoris impatientia, tacere non possum. Prima primi uxor Adæ post primi hominis creationem, peccato primo solvit jejunia: propter prævaricationem præceptum Domini parentavit inobedientiam, quæ citra mundi terminum non abisset expugnare fœminas, quæ semper infestæ erunt trahere in consequentiam quod à matre sua traxerunt.

Amice, contumelia viri est uxor inobediens. Cave tibi: veritas quæ non potest falli, ait de beato David: Inveni virum secundum cor meum. Hic tamen ægrè præcipitatus est amore mulieris ex adulterio in homicidium: ne unquam sola veniant scandala. Dives enim omnis est iniquitas societate plurima: & quæcumque domum intraverit, suis tradidit inquinandam convitiis.

Amice, Bethsabee sicut, & in nullo malignata est: & nihilominus tamen facta est stimulus subversionis viro perfecto: & mortis aculeus marito innocenti. Nunquid innocens erit, quæ contendit eloquentia, ut Dalila Samsonis: & forma, ut Behtsabee: cum hujus sola pulchritudo triumphaverit etiam nolens: Si nones amplius secundum cor Domini quam David, crede quod & tu præcipitari potes.

Sol hominum Salomon, thesaurus deliciarum Dei, sapientie singulare domicilium, crallo tenebrarum fuscatus

Tom. V.

arramento, lucem animæ suæ, gloriam domus suæ, odorem famæ suæ amisit amore mulieris. Et postremo curvatus coram Baalim, ex Ecclesiaste Domini mutatus est in membrum zabuli: ut adhuc graviore videretur detrudi præcipitio, quàm Phœbus in casu Phaëtonis, qui de Apolline Jovis factus est pastor Admeti. Amice, si non es sapientior Salomone, quod nemo est, non es major quàm qui potest falcinari à fœmina: oculos tuos aperi & vide.

Optima fœmina, quæ rariore est phœnice: amari non potest sine amaritudine metus, & sollicitudinis, & frequentis infortunii. Mala autem, quarum tam copiosa sunt examina, ut nullus sit expers malignitatis earum: cum amantur amare puniunt, & afflictioni vacant usque ad divisionem corporis & spiritus.

Amice, philosophicum est: videto cui des. Ethica est: videto cui te des. Vexilla pudicitie tulerunt cum Sabinas Lucretia, & Penelope, & paucissimo comitatu trophæa retulerunt. Amice, nulla est Lucretia, nulla est Penelope, nulla est Sabina. Time omnes. Ingressa sunt acies ad Sabinas, Scylla, & Myrrha, & Phœdra: & secuta sunt eas turbæ multæ omnium vi-tiorum exercitu stipatæ: & gemitus & suspiria, & tandem infernum captivis suis fecerunt.

Amice, ne præda fias in medio prædonum, non dormias earum in transitu. Jupiter rex terrenus, qui & rex caelorum dicitur est, præ singulari strenuitate corporis, & incomparabili mentis elegantia, post Eutopam mugire coactus est. Amice, ecce quem bonitas super caelos exultat, fœmina brutis comparavit. Poterit etiam fœmina te cogere ad mugitum: si non es major Jove, ejus magnitudini nemo alius par fuit. Phœbus qui sapientie suæ radiis totius orbis primitiavit ambitum: ut merito Solis nomine, solus illustraretur: infatuatus est amore Leucothoës, sibi ad ignominiam, illi ad interitum: & eclipica diu vicissitudine varius factus est, frequenter sui luminis expers, quo totus universali-ter egebat mundus.

Amice, ne illud lumen quod in te est, tenebræ fiant, Leucothoën fugito. Mars qui Deus bellantium dici meruit, triumphorum familiari frequentia, in quibus expedit vis animi maxime prompta, nil sibi metuens à Vulcano ligatus est cum Venere: invisibilibus quidem catenis, sensibilibus tamen. Hoc autem ad plausum satyrorum: & ad risum celestis curiæ.

Amice, meditare saltem catenas, quas non vides, & jam in parte sentis: & eripe te dum adhuc raptibiles sunt, ne claudus ille faber & turpis, quem Deus non est mensa, nec dea est dignata cubili, te Venere suo more concatenet, & te sui similem turpem & claudum, imò quod magis timeo, lori-pedem faciat: & non possis quod salvat fissam habere ungulam, sed alligatus Venere dolor fias, & irritio videntium: dum sibi applaudunt ceteri. A falso deorum iudice reprobata est Pallas: quæ non delectare promissit, sed prodesse.

Amice nunquid & tu sic judicas? Viden enim jam te fastidienti animo tota celeritate percurrere quæ legis, & sententias non attendere, sed expectare schemata. Frustra expectas: donec hic turbidus amnis effluat: ut hæc sententia lecedens, pura tibi fluente irriget. Similes enim vero oportet esse sui fontis rivulos, aut turbidos, aut claros. Sic vero imperitiam cordis mei, vitium orationis exprimit: & strumosa dictionum imperitia delicatum offendit animum. Hujus imbecillitatis mihi conscius diversilem me ad dissuadendum libenter: sed quia tacere non potui, loquutus sum ut potui.

Quod si mihi esset tanta styli virtus, quantus esset scribendi animus: tam elegantia tibi verba transmitterem, & tam nobili maritata conjugio, ut singula scorsum, & omnia simul suum viderentur auctorem benedicere. Sed quia mihi omnia debes quæcumque adhuc nudus amor & infœcundus, ne dicam sterilis, mereri potest ex omnibus: mihi præbe interim patienter aures, dum evolvam quod implicui: & à me non requiras purpurisam oratoris, aut cerullam: quam me nescire fateor & fleo: sed scribentis votum, & paginam veritatem accepta.

Julius Cæsar ejus amplitudini strictus fuit orbis: die qua nobilem filium suum ausa est occidere seva nimis Atropos: Tugillio humiles quidem sed divinos quasi stylos prædocenti auri humiliter inclinavit in valvis Capitolii: quod si & animum, pœnas ei dedissent quibus ipse. Tu verò stylorum tuorum mihi prænuncio aures inclinas, ut alpis veneficis: adhibes animum, ut aper latratibus: placaris, ut displas, cui sol incanduit à cancro. Tibi consulis, ut spreta Medea. Tibi

Y

misereris, ut æquor naufragis: quod manum continens, reverentia regie pacis est.

Amice, se humiliavit, licet citra perfectum, domitor orbis fidei suo: & penè pedem retulit, quia penè paruit: & penè succubuit, quia penè audivit & non penitus. Nihil ei multa humilitas profuit, quia non plena. Quid tibi confert tua tam ferina inhumanitas, & rigor inflexus, & horror supercilii? Quid ultrò irrui in latronum insidias inermis: humilia te, cede. Sed ad modum humilitatis ejus, qui totum sibi mundum humiliavit: & audi amicum tuum. Et si Cæsarem crasse credis, qui Tugillio non credidit: exaudi & attende quid & aliis contigerit, ut tibi pro sit eorum læsio. Indemnis est enim castigatio quam persuadent exemplaria. Nescio quo refugio tutus es, aut quo torpescis asylo. Cæsar immisericordes Persides repperit, & non est reversus: Tu si unquam tale gymnasium evasisti, pios, impios invenisti. Phoroneus rex, qui legum thesauros populis publicare non invidit, sed is primus Græcorum studia deauravit, die qua viam universitatis ingressus est, ait Leontio fratri suo: Ad summam felicitatem nihil mihi deesse, si uxori mihi semper defuisset. Cui Leontius: & quomodo uxor obstat? At ille, Mariti omnes sciunt.

Amice, utinam tu semel maritus fueris, & non sis, ut scias quid felicitatem impediatur. Valentinus imperator octogenerius adhuc virgo, cum audiret die fati sui triumphorum præconia recoli, quibus frequentissimus erat: ait una se tantum gloriari victoria. Et requisitus qua? respondit, quod inimicorum nequissimum devici carnem meam. Amice, hic in gloriosus migrasset à seculo, nisi ei fortiter restitisset cum qua tu assensum familiaritatis pepigisti.

Cicero post repudium Terentiæ uxori noluit, dicens se pariter uxori & philosophiæ operam dare non posse. Amice, utinam tibi hoc animus tuus respondeat: vel tua lingua mihi: ut loquendo saltem eloquentiæ principem digneris imitari, & mihi ipem facias vel vanam.

Cannius à Gadibus Herculis, poeta faciundæ lenis, & jucunde, reprehensus est à Livio Pæno, gravi & uxorato historiographo: quod multarum gauderet amoribus, his verbis: nostram philosophiam participare non poteris, dum à tot participaris. Non enim eo jecore Junonem amat Titius, quod multi vultures in multa divellunt. Cui Cannius: si quando labor, refugio cautius: si paulum opprimor, alacrius refugio aërem, vices noctium dies reddunt lætiores: sed tenebrarum perpetuas inlar inferni est. Sic lilia primæva, verni solis delicata teporibus, varietate tum Euri, tum Nothi, tum Zephyri læticia effusione lascivunt, quibus uno spiritu fulminans Libs incumbens occasum facit. Sic Mars ruptis testiculis in mensa cœlesti recumbit conviva superum: à qua uxori Mulciber suo sane longe religatur. Sic levius ligant multa fila quam sola catena: Sic mihi à philosophia delicatæ tibi solatium.

Amice, utriusque verba probo: vitam neutrius. Minus tamen multi morbi lædunt salutis vicissitudine interpolati: quam languor unus qui doloribus irremediatis non cessat affligere. Pacuvius flens, ait Arrio vicino suo.

Amice, arborem habeo in horto meo infelicem: de qua prima uxor mea se suspendit: postmodum secunda, jam nunc tertia. Cui Arrius: Miror te in tot successibus lachrymas invenisse. Et iterum: Dii boni quot tibi dispendia arbor illa suspendit. Et tertio: Amice, da & mihi de arbore illa furculos, quos seram.

Amice, timeo ne & te oporteat arboris illius furculos mendicare, cum jam inveniri non poterunt. Sensit Sulpitius ubi ipsum calceus suus premebat, qui ab uxore nobili & casta diverit.

Amice, cave tibi ne te premat calceus, qui avelli non possit. Ait Cato Uticensis: Si absque femina posset esse mundus, conversatio nostra non esset absque diis. Amice, Cato non nisi vera & cognita loquebatur, nec quisquam feminam execeratur ludibria, nisi lusus & expertus & conscius pœnæ. His igitur fidem habere deest: qui cum omni veritate loquuntur. Hi sciunt ut placet delectatio, & pungit delictum. Hi norunt quod flos Veneris rosa est: quia sub ejus purpura multi latent aculei.

Metellus Mario respondit cum ejus filiam dote divitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere noluit: Malo meus esse quam suus. Cui Marius, imò ipsa tua erit. At ille: Imò virtum oportet uxoris esse. Logicum est enim,

taliam erunt subiecta, qualia permiserint prædicata. Sic faceria verbi Metelli diverit ab oneribus dorum ejus. Amice, si uxori oportet, non expedit quidem. Verumtamen sit amor in causa, non census. Et faciem uxoris eligas, non vestem. Et animum, non aurum: Et tibi nubat uxor, non dos. Ergo si quo modo fieri potest, prædicari poteris, ut livorem non ducas à subiecto.

Lais Corinthia prærogativa pulchritudinis insignis, tantummodo regum & principum dignabatur amplexus: Conata est tamen Demostheni philosopho participare, ut notæ castitatis ejus miraculo soluto, videretur specie sua lapides movisse, ut Amphion cithara, attractumque blanditiis tractavit suaviter. Cùmque jam Demosthenes emolliretur ad thalamum, petivit ab eo Lais centum talenta pro consensu. At ille suspensus in cælum, ait: Non emo tanti pœnitere. Amice, utinam in cælum & tu acumen mentis dirigas, ut id effugas quod pœnitentia est redimi.

Livia virum suum interfecit, quem nimis odiit. Lucillia suum, quem nimis amavit. Illa sponte miscuit aconitum: hæc decepta, furorem propinavit pro amoris poculo. Amice, contrariis contenderunt votis istæ. Neutra tamen defraudata est sine fraudis feminæ, & proprio scilicet malo. Variis diveris incedunt semitis feminæ, quibusque anfractibus errent, quibusque deviant in viis, unus est exitus: una omnium viarum suarum meta. Unicum caput & conventus omnium diversitatum suarum malitia. Exemplo harum experimentum capere: quod audeat est ad omnia quæ amat vel odit femina: & artificiosa cum nocere vult, quod semper edit & frequenter: cum juvare parat, obest. Unde fit ut frequenter noceat nolens. In fornace positus es: si aurum es, exibus purior.

Dejanira Tyrrhenthium vestivit interula: & monstrorum malleum, monstri sanguine ulti est: sibi que processit ad lachrymas, quod ad lætitiarum machinata est. Amice, tractatum telo Hercules scivit & vidit Nessum ista, nihilominus tamen Nesso credidit in Herculem: & quasi non sponte, quem debuit vestire interula, vestivit interitu. Infanti capitis & præcipitis est femina, indeliberata semper voluntate: præcipium arbitrat quod vult, & quod non expedit: & ut præ omnibus placere cupit, ita placitum suum omnibus præferre consula est. Duodecim inhumanos labores consummavit Alcides. A tertio decimo qui omnem inhumanitatem excessit, exuperatus est. Sic fortissimus hominum, æque dolendus ut gemebundus occubuit, qui cœli arcem sine gemitu sustinuerat humeris. Tandem quæ unquam inter tot milia milium sedulum sollicitumque precatorem perpetua contristavit repulsa: vel quæ constanter præcidit verba petentis? favorem sapit ejus responsio: & quantumcumque dura fuerit, semper in aliquo verbi sui angulo habebis aliquem petitionis tuæ fomitem implicitum: quælibet negat, nulla pœnecat. Irrumpit aurum in propugnacula turris Acrisii, valloque multiplici signatum.

Danaës pudicitiam solvit. Amice, sicut virginis quæ terram triumpharat, de cœlo pluit incestus: sic quam nunquam fallit humilis, vincit sublimis. Sic arborem quam nunquam movit Favonius, evertit Aquilo. Lycia virgo, vergens in senium, & fama castitatis privilegiata constanter: tandem oppressa Apollinis phantasmate concepit, peperitque Platonem.

Amice, quam illibatam servaverunt vigilie, defloravit illuso per somnium: ut semper omne rosarium aliquo turbine sua purpura spoliatur. Sed bene si quid hic bene, quod patrisavit Plato in sapientia: & quod similis factus est nominis & numinis patris præcipui. Amice, miraris, an indignaris magis: quod in parabolis tibi significem gentiles esse imitandos, Christiano idololatræ: agno, canes: denique bono malos? Volo sis api argumentosæ similis, quæ mel elicit ex urtica: ut sumas mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Gentilium novi superstitionem, sed omnis creatura Dei ali-quod habet exemplar honesti. Unde ipse, tum aries, tum leo, tum vermis dicitur: sed plurima perverfa agunt increduli: aliqua tamen quæ cum ipsis interierant, in nobis fructum abundare fecerunt. Quod si illi zonas habuerunt pelliceas causa munditiæ, sine spe, sine fide, sine prædicamento, sine charitate: profecto si nos fuerimus asini & fues, aut aliqua inhumanitate brutorum similes, quo fidei, quo spei, quo charitatis merito digni reperiemur: cum videas Prophetas, & præcipue illum, mundi cordis quem soli cernere possunt oculi. Illi autem studio suarum artium se multis conatibus affli-

xerunt: nullo futuræ felicitatis intuitu: sed tantum ne animas haberent ignorantes. Quid nobis erit, neglecta divina pagina: cujus finis veritas est, & illuminatio & lucerna pedibus: & lumen fœmitis ad vitam æternam.

Utinam hanc eligas, utinam hanc legas, utinam hanc introducas in cubiculum tuum, ut introducat te rex in suum. Hanc dudum facibus tui veris subarrasti. Hæc in ætate tua expectat ut facias uvam: in hujus injuriam, non ducas aliam, ne faciens in tempore vindemæ labrusca inveniaris. Nolo te sponsum Veneris fieri, sed Palladis. Hæc sponsa te inducet monilibus pretiosis & ornabit: hæc te inducet veste nuptiali. Hæc nuptiæ gloriabuntur Apolline paronymo: harum Fescennina decebit cedros Libani, Silbon uxoratus, spem hujus tam desideratæ solemnitatis devote concepi: sed in timore, causa hujus tota hæc lectio facta est.

Ad hunc finem luculenta tota hæc properat oratio. Hic rigor hujus dissuasionis: hic totus armatur, cujus modum chalybe præduratos sentis aculeos. Dura est manus chirurgici, sed sanans. Durus est hic sermo, sed sanus. Sed utinam tam utilis quam devotus. Amice, arctam tibi, ut ais, insilio vivendi regulam, esto. Est enim arcta via quæ ducit ad vitam: nec est semita plana, qua itur ad gaudia plena: imò etiam ad mediocria decebit cedros Libani. Audivit Jason, quod per mare adhuc intactum, nec ullis devirginatum ratibus aut remis: & per tauros & sulphureos ignes: & per toxicati serpentis virgulas sibi viandum esset ad veltus aurum: & sano consilio, licet non suavi usus, abijt & redijt: & optabilem thesaurum retulit: sic absinthium veritatis acceptat morosæ mentis humilitas: fecundat officiosa sedulitas: in fructum perducit perseverantiæ utilitas. Sic sementem serit, pincerna pluviarum Auster. Consolidat scopam viarum Aquilo. In uberem promovet florum procreator Zepirus. Sic dura principia dulci fine munerantur. Sic arctus callis ad ampla palatia perducit: sic angustus trames ad terram ducit venturum.

Sed ne longo te dispendio suspendam, ut majori testimonio mihi fides adhibeatur: lege aureolum Theophrasti, & Medeam Jasonis, & vix pauca invenies impossibilia mulieri. Amice, det tibi Deus omnipotens femine fallacia non falli: & illuminet cor tuum, ne præstigiatis oculis tendas quò ego timeo: Sed ne Oresten scripsisse videar. Vale.

MARTINI QUINTI PONTIFICIS sequentiæ regulæ Monachorum approbatio.

MARTINI Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Etsi pro cunctorum Christi fidelium quibus curam apostolatus officij gerimus, statu salubriter dirigendo & ampliando diligenter adhibeamus sollicitudinis nostre partes. Illos tamen affectuosi prosequimur charitate, qui mundanis abjectis illecebris, in humilitatis spiritu sedulo virtutum Domino famulantur. Unde ea quæ pro illorum sub vera religionis observantia stabiliendo proposito providè emanasse comperimus: ut firma illibataque permanent, libenter Apostolico munimine roboramus.

Nuper siquidem pro parte dilecti filii Lupi de Olive-to, ordinis monachorum eremitarum sancti Hieronymi generalis præpositi, nobis exposito, quod dudum ipse & plerique alii professores ordinis ejusdem sancti Hieronymi, sub regula sancti Augustini tunc viventes, zelo devotionis accenti, ob frugem vitæ melioris, arctius & perfectius quam regula dictaret hujusmodi, & in vero statu monachali, quem ipse sanctus Hieronymus cum suis monachis & fratribus professus fuisse, & in communi observasse perhibetur vivere: & ut nomen gerebat ejusdem sancti, sic ejus vitam, regulam & opera desiderabat imitari.

Idcirco ad hujusmodi ordinis stabile potius fundamentum, pro institutione regulæ monachorum eremitarum ordinis sancti Hieronymi ex diversis Epistolis & tractatibus per dictum sanctum Hieronymum editis, & per Ecclesiæ approbatis: nonnullamque veram religionis doctrinam, vitamque monachalem: quam idem sanctus cum suis monachis & fratribus in ejus vita in communi quo ad ea quæ principalia sunt status & vitæ monachalis permulta & usque sui tempora oblitus observavit: & aliquos alios observare movit continentia: Lupus ipse contraxerat, complaverat, & velut in unum cor-

Tom. V.

pus, sub certis titulis reduxerat: sub quibus ipse & plerique alii monachi & fratres dicti ordinis ex tunc in antea degere & permanere, ac illa in regulam suscipere proponebant & affectabant.

Nos tunc hujusmodi propositum condignum & rationi consonum recensentes, hujusmodi regularem & monachalem observantiam ipsam sanctum Hieronymum in vita ejus observandam merito laudantes & approbantes: illamque in Dei Ecclesiæ in ordinem monachalem attoni, & observari intensis desideriis affectantes: eidem Lupo doctrinam & instituta monachalia ejusdem sancti Hieronymi ex eisdem Epistolis & tractatibus, prout per ipsum Lupum extracta, compilata & redacta fuerant: loco regulæ sancti Augustini in regulam monachalem ordinis monachorum eremitarum dicti sancti Hieronymi, & ejusdem sancti vitam præfatam in ordinem hujusmodi suscipiendam: ac ipsam regulam dicti sancti, prioribus, monachis, fratribus & personis prædictis sub ea vivere cupientibus, quos etiam ac ipsum Lupum postquam secundum eandem regulam vota sua principalia emisissent, à regula dicti sancti Augustini observantia ex tunc penitus absolutos esse volumus: & decrevimus observandam, tradendi, & publicandam plenam & liberam per alias nostras literas, quas & earum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, concessimus facultatem: ac per eandem literas volumus, quod postquam idem Lupus regulam hujusmodi tradidisset & publicasset, ut præfertur, ex tunc ipse, ac priores, monachi, fratres, & personæ, prædicti secundum illam vota sua principalia religionis hujusmodi, emittere, profiteri, & vivere tenerentur: Ipsaque regula sic tradita & publicata, robor obtineret perpetuæ firmitatis.

Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte ejusdem Lupi petitio, licet ipse postmodum ad salutem dicti ordinis monachalis institutionem, ejusque soliditatem incrementum providè intendens: præfatam vitam dicti sancti Hieronymi monachalem in ordine hujusmodi ejusque doctrinam & instituta monachalia: prout ex Epistolis & tractatibus prædictis per ipsum Lupum extracta, compilata & redacta fuerunt, ut præfertur dictarum literarum vigore loco dictæ regulæ sancti Augustini in regulam ordinis monachorum eremitarum hujusmodi assumpserit & exerxit atque susceperit: ipsamque regulam, prioribus, monachis, fratribus, & personis hujusmodi ordinis sub ea vivere cupientibus, & personis hujusmodi ordinis sub ea vivere cupientibus, juxta illius continentiam inviolabiliter observandam tradiderit, publicaverit, ac observari decreverit: Ipsique priores, monachi & fratres vota sua principalia secundum regulam hujusmodi in manibus dicti Lupi professi fuerint, illaque de cætero utentes secundum eam regantur & gubernentur, ac ipsam in regulam eorum tanquam veram doctrinam monachalem sancti Hieronymi laudantes & approbantes acceptaverunt, & secundum eam etiam monasteria ejusdem ordinis monachorum regunt atque gubernant: idem tamen Lupus assumptionem, erectionem, susceptionem, traditionem, publicationem, & decretum aliæque præmissa ex certis causis dubitat viribus non subsistere: pro parte dicti Lupi nobis fuit humiliter supplicatum, ut assumptioni, erectioni, susceptioni, & publicationi, ac talibus præmissis pro illorum subsistentia firmiori, robor Apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui religionis propagationem & divini cultus augmentum nostris vigere temporibus intensis desideriis affectamus: hujusmodi supplicationibus inclinati, assumptionem, erectionem, susceptionem, & publicationem, & alia præmissa, ipsamque regulam prout inferius describitur: ac omnia & singula in ea contenta, ac inde secuta, rata habentes & grata ea autoritate Apostolica ex nostra tota certa scientia confirmamus: & præsentis scripti patrocinio communimus: suppletes omnes defectus si qui forsitan intervenerint in eisdem. Statuentes nihilominus harum serie, & etiam ordinantes, quod de cætero Lupus ipse ejusque successores, præpositi generales, priores, monachi, fratres & professores, ac conventus & monasteria dicti ordinis monachorum eremitarum sancti Hieronymi, quæ nunc sunt & erunt in posterum, profiteantur vota sua tria principalia religionis: ac etiam regantur & gubernentur per dictum Lupum ejusque successores præpositos: ac vivere teneantur secundum regulam hujusmodi ejusque continentiam & effectum, ac ipsius susceptionem, traditionem & publicationem præfatas, aliæque instituta ordinis hujusmodi regularia.

Y ij